



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.D.XLI. Sancti Patris Benedicti. M.LXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

quæ prima omnium quotidie legebatur, sollicitè & humiliter inserviret. Ipso momento mortis ejusdem adfuit ad portam Monasterij Abbas S. Martini de Castaneda, Monasterij quindecim milliaribus à Morerola distantis Dn. Didacus Hidalgo, qui à janitore quaesivit qua hora sanctus defunctus esset? Ille ignarus adhuc mortis, respondit nullum in Monasterio mortuum, sed Abbas qui per revelationem habuerat: *Invenimus, inquit, Pater, vni enim ut Missam dicam, & sanctum quemdam Religiosum in hoc Monasterio mortuum sepeliam, quod omnes hujus Monasterij Sacerdotes jam Missam celebrarint.* Janitor miratur, dicens Abbatem in templum, inveniuntque Patres de morte R. P. Benedicti attonitos & turbatos, Abbate Missam celebrante ipsumque tumulo contegente, ut ex hoc Numinis de suorum Amicorum etiam cadaveribus curam, & Abbatis etiam ipsiusmet gratiam agnoscas, & tempore adeo turbido admireris. *Athanasius Lobera, in Vita S. Froilani Marique, Henriquez, in Menol. & Falsic.*

Ipso anno 1540. In Polonia claret magna sanctitatis opinione Beatus Benedictus de Koska Beati Stanislai de Koska Societatis Jesu laudatissimi Alumni Cognatus, an germanus frater, Monachus Canobij Lubinensis, cujus res gestas plurimum desideramus. *Ex Monim. ejusdem Canobij.*

In Italia inter doctrina præstantiores celebratur Joannes Baptista Folengus Monachus & Prior Sancti BENEDICTI prope Mantuam, qui inter alias dignissimas æternitate lucubrationes, posteritati nomen suum multis meritis commendavit, commentarijs in primis doctissimis in omnes Psalmos Davidicos, sermone elegantissimo scriptis. Alijs item Commentarijs in Epistolas Canonicas omnes, & in primam Joannis. *Jepesius & Arnoldus Duacenus.*

In Germania quoque, ne ceteris Regnis, mensam & impeditam ingluvie, omnino steriliorem reputes, inter alios dignos æternitate Præsules, numerum Coelitus auxit, Georgius à Reichenbach ex Monacho Weissenburgensi Ebersheimensis Canobij Abbas, Carolo V. Imp. Aug. & Ferdinando Regi multo nomine charus, omni-

busque passim Imperij Principibus ob egregia animi talenta magno in respectu & pretio habitus, tempore rebellionis rusticorum, adeo malis & tribulationibus exercitatus, ut vix superstes fore videretur, qui tamen DEO confusus Monasterium mire quasi servavit, restituit, imo auxit & celebrius sui nominis & meritorum immortalitate reddidit, adeo sui ipsius, in omni plebis respectu, Principum favore, contemptor, ut à morte etiam inter Minimos censeri voluerit, & voluntate suprema caverit, humili loco, nec alio quam sub pedibus piscatorum suorum, & quidem rebellium sepeliri. *Ex monim. Canobij Apri-Monasteriensis.*

Sed & Hildegunda S. Egidij Monasteriensis Abbatissa, virili animo Heroïna, ne vili in Germania virorum cederet, inter Anabaptistarum belluina bella & crudelitates, sibi constans semper, miraculum suæ ætatis Amazonum Deo sacrarum Virginum fuit, omnibusque calamitatibus superior, suis in DEUM confidentia & amore fuit. Nec mirum, cum tam excelsæ virtutis fundamenta, in summa poneret animi demissione, nec ulla Illustris prærogativâ generis in Monasterio unquam censeri voluerit, imo non domicellarum ultima videri, sed fororibus Laicis seu conversis accenseri, ex qua sorte, multum sed frustra reclamans & obnixâ, Abbatissa renunciata est, quâ nemo virorum obtiti Anabaptistarum, furori constantius præsumeret; hoc ipso anno ad præmia certaminum vocata.

IESU CHRISTI ANMUS. M. D. XLI.
Sancti Patris Benedicti. M. LXI.

SANCTISSIMO celeberrimæ & laudatissimæ Patrum Societatis Jesu Institutori Ignatio, non satis erat in nostris Montferratensi Canobio, ea quæ supra commemoravimus consilia, & auxilia accepisse, in Monte Martyrum Vota tertium congeminasse, in Archisterio Cantine Regulas composuisse: sed quia ita feliciter apud nostros omnia successerant, quæ DEO auspice ipsis dictantibus & juvantibus susceperat, supremam denique recens inchoato, magno revera Operi, apud nostros quoque, imponendam manum censuit, & hoc ipso anno feliciter imposuit.

Hujus exercitii.

Ejus sanctitas mirè prodicitur.

Baptista Folengus.

Georgius Abbas Ebersheimensis.

Ven. Hildegunda Abbat. Monaster.

S. Ignatij ad S. Paulum Roma profectus.

suit. Pròin constitutâ jam Societate, annuente Romano Pontifice, Vota Religionis solemniora nunupaturus, tot inter Romanæ Urbis Basilicas antiquitate, & piorum hominum frequentiâ illustres, non aliam deligere placuit, quam vetustissimam illam Constantini Magni fabricam, Archidiacono Paulo, extra Urbem via Ostiensi dicatam: Ubi coram Divi BENE-
DICTI, Religiosorum omnium Patris & Patriarchæ altari, ex sui instituti formula, sacram illam Cæremoniam, summa cum sui ipsius & Ordinis resignatione, perageret. Ita rursus apud nostros, maxima quæque aggredi, imo absolvere perspicacissimi viri animo sedit; quo suos nimirum filios, perpetua quasi obligatione, in suo, ac primo suorum Voto, coram DEO & sanctissimo Patriarcha nostro, obfides traderet. *Marcus Ant. Scipio Ribadeneira, Japes &c.*

*Martinus
Abbas Cri-
spini.*

Illustrissimum Germaniæ Inferioris Sydus, provincias illas mirificè illustrat Martinus Cuperus, Abbas Crispiniensis, immortalibus meritis Ordinem demeritus, cujus Reformationem totis viribus promovit, & ipse se exemplar virtutis omnibus præbuit, inde familiarissimus sanctæ memoriæ Ludovico de Blois Abbati Latiensi factus, uterque, ut animalia illa Ezechielis, seque suosque fervore spiritus, tanquam alis sese concitarunt, & mira passim in Ordine effecerunt. Fuit idem Calcedonensis Episcopus, Cameracensis suffraganeus, egregius Hæreticorum debellator, ab ipsis vicissim pro fide, multa perpeffus & pro Christo demum in exilio mortuus. Ipsi Matthæus Moullart, gravi ad Regem Hispaniarum Legatione functus, sui Cænobij [S. Gisleni nimirum] curam credidit & confidentissimè commendavit. Fuit Vir summæ etiam apud summos auctoritatis, à nonneme, *Totius Hispaniæ singulare ornamentum & fulcrum*, appellatus.

*Capucini
ad nostros
recurrunt.*

Seraphici Ordinis Patrum Capucinorum, recursus, hoc maximè tempore, primis suæ Reformationis [cum undique invidia & malevolentia Cæcodæmonum & malorum hominum impeterentur] initijs ad Benedictinos confidentissimus, quibus non solum portæ semper omnes Monasteriorum

apertæ, sed æquè patentia corda fuerent Monachorum. Ita cum hoc ipso etiam anno, sanctæ memoriæ Frater Humilis, ex primis novellæ familiæ syderibus ad Archisterium Casinense se conferret, & sub potens sanctissimi Patriarchæ BENE-
DICTI, Patrocini-um concederet, Morbo præoccupatus, ibidem sanctissimo sine decessit, quem uti Angelum sibi missum, Casinates complexi, eidem ad mortem usque, plena charitate infervierunt, cujus sacrum corpus ibidem usque hodie incorruptum cernitur.

Iterum memorabili ad omnem æternitatem merito, cum laudatissima Societatis Jesu institutio, & in Gallijs & Hispanijs ingentibus quateretur injurijs, & concitante malo genio, non aliter atque Capucinis Patribus, ipsis plurimi, non obtinerentur solum, sed omnino everfos vellent & saragerent, nostri diversis locis, eorum suscepto pro viribus Patrocini-um, non solum ipsis patere claustra voluere, sed plurimis locis, varia ædificia, & collegia, ut suo loco videbimus, construxere, & primitus alimenta atque alia necessaria summâ charitate subministravere; sumptus insuper & proventus annuos laudabili munificentia suppeditavere. Ita sub hoc ipsum tempus cum in Hispanijs Compluti & alibi plurimos adversarios paterentur, sanctæ memoriæ Ludovicum de Estrada Hortensis Monasterij Ascetam, ac deinde Abbatem, fidelissimum Patronum nacti, cum is Complutensis aliquamdiu Universitatis Rectorem ageret, ab eodem perbenigne suscepti, consilio & ope adjuti, cum is pro virili negotij illorum sarageret, adversantes privatum conveniret, & emollire eorum animos contenderet, sed & ad Monasterij res eurandas evocatus, plenas inde sanctorum conceptuum & Spiritus sancti redolentes Dictata, litteras ad Universitatem scriberet, in quibus novi hujus Instituti perfectionem sedulo celebrabat & commendabat, quantumque ex eorundem Patrum receptione commodi ad omnes perventurum esset, indicabat: effecitque omnino, ut in Complutense non solum Collegium admitterentur, sed & magnis postea rebus adhererentur. *Manriquez Monjm. Hortens.*

Patres Societ. Jesu à nostris defensi.

Mori-

Bernardus
abb. Alt-
sch. Super

Moritur hoc ipso anno Bernardus Abbas Superioris Altaichij, Vir Disciplinæ Regularis promotor singularis, qui præter egregiæ Virtutis laudes eximias, magna rerum gerendarum dexteritate valuit, rarâ peritiâ, quam cum agendo, tum scribendo, omnibus numeris comprobavit. Nec minore Virtutis fama. Theodoricus Abbas Abdinckhofensis, hunc ipsum annum supremum habuit, qui juxta ab admiranda omnino eruditione celebratus fuit. *Ex Monumentis eorumdem Monaster.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. XLII.
Sancti Patris Benedicti. M. LXII.

V. Gregorius
in Cortesi-
is Cardini-
nalis.

Merito suo, extra invidiam omnem, & supra famam erectus hoc anno Venerabilis Dominus Pater Gregorius Cortesius ex Monacho & Abbate Sanctissimi Patris nostri BENEDICTI de Padolirone, eminentissimo Dignitatis gradu sublimatur, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Titulo S. Cyriaci in Thermis à Paulo Tertio Farnesio creatur, honorem illum multo magis ipse, sapientiæ, doctrinæ & vel maximè integerrimæ vitæ fama exornans, quam ipse à purpura ornari potuerit. Stupente ad exempla Cardinalium nostrorum Romanâ Urbe, cum, velut in Canobio mortui mundo, cognatorum promovendorum nullam curam admitterent, & cum etiam maxima pro bono publico molirentur, ea tamen palam minime jactarent, nec plausum populi quærerent, contenti acta sua Numini probari, & sanctam Matrem Ecclesiam, magnis & arduis laboribus demereri. *Vid. Hieron. Platus, Chaconius, Panvinus, Arnoldus Duacenus, &c.* Sub idem tempus renunciatur Episcopus Cardinalis Tusculanus Philippus noster della Camera, Episcopus Bononiensis ex Monacho Corbeienfi, de quo jam supra. *Vid. Ciacon Panvin. Claud. Robertus, Chenu & alij.*

Claret magnis Virtutibus, & efflorescit in Monte Oliveti Venerabilis Vitus à Prato Generalis sacræ familiæ nostræ meritissimus, qui quanti à Numine ipso fieret, insigni hoc ipso anno prodigio patuit, cum in validum exardescens incendium Archisterij illius Sacrarium, ipso pro arâ maxima in preces effusio, ignes haud aliter arque

aqua extinguerentur. Fuit Vir vitæ rigida, somni cibique parcissimus, expertissimus olim Magister. Novitiorum.

In Gallijs adolescit felicissimè Benedictinaram Monialium strictior reformatio, & tali quidem successu, ut splendoribus illecti & illustrati maximorum etiam Principum animi, tantæ sanctitatis exempla non solum mirarentur, sed & filias charissimas ipsam instituendas traderent, imo in vitis parentibus & cognatis, nobilissimæ quævis tam Nobile Regum Regis servitium in eisdem exambirent, & tennerrimæ puellulæ tantum vitæ rigorem summa generositate complexæ, nullam omnino dispensationem admitterent, & tenui non solum victu, sed crudo omnino & rustico, humilique vestitu contentissimæ, in omni abjectissimarum Ancillarum contemptissimo labore & servicijs maximo sese animi solario occuparent, quin & de viliori piè contenderent. Eas inter hoc anno Guillemetta de Bonvallet, cum S. Petri Rementi Canobio decennium præfuisset seque exemplar Virtutum omnium sese omnibus præbuisset, honore, ut videtur, ultro se abdicans, subelle eligens magis quam præesse, votis eligentium variantibus prodijt denique humillima omnium, etsi genere sublimissima, & ad hoc ipsum Reformationis studium mirificè affecta, serenissima Princeps Renata Lotharingæ Ducissa, Claudij Guisæ Ducis & Antonettæ Borboniæ Regij sanguinis matronæ lectissima & dilectissima filia, è Monasterio Fontis Eberhardi sive Ebraldi, cujus Priorissam agebat, postulata, è quo tamen loco ante quadriennium dimissa non est, quod & illi necessaria videretur, de qua postea fusius agemus. Ipso anno extinguitur Lambertus à Falckenburg Abbas S. Mathiæ apud Treverorum urbem, Reformationis promotor egregius, idem non minus eruditione, quam vitæ integritate spectatissimus.

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. XLIII.
Sancti Patris Benedicti. M. LXIII.

Inter Illustrissimos genere & virtute Orbis universi, & sæculi hujus ex Ordine Benedictino amplissimo viros, excellit atque exsplendescit vel maxi-

M

mè

Reformatio
Monialium
in
Gallijs.V. Renata
Duc. Lo-
thar. mon.Lambertus
Abbas S.
Mathiæ.